

*Verluste und Armut auch aus religiösen Gründen mit Fassung tragen zu wollen.*

*(zweite Hälfte des Jahres 1447– Fröhjahr 1448?)*

*SLUB Dresden, Mscr. Dresd., F.172.c, fol. 75v–76r.*

Eneas episcopus Tergestinus domino Michaeli regio secretario et amico fideli salutem plurimam dicit. Rem tibi auream commisi curandam, cuperem vel argenteam vel cupream recipere. In reditu magnifici cancellarii suspensum est negotium. Iustam oro amici causam oportune atque inopportune promovendam suscipe. Difficile est aurum extorquere, sanguinem plurimi quam aurum libentius dabunt. Pretiosa res videtur aurum. Quis non amet illud? *Omnia*<sup>52</sup> *patent auro*. *Acrisii* filiam *Danaen* multis observatam *excubiis*, quis Iovi perviam nisi aurum fecit? *Amphiaram* Thebanis aurum tradidit. *Subruit emulos reges muneribus* aureis *Allexander*. Auro bellum geritur, pax emitur auro. Quecumque videntur speciosa vulgo, eadem venalia facit aurum. Nimirum si turbe sequuntur et amant aurum. At qui sapiunt, magnas inesse pecuniis molestias norunt. Acquiruntur sane difficulter, retinentur difficiliter. *Crescente pecunia* crescit et *cura*. Insatiabilis est pecuniarum appetitus, inextinguibilis *fames*. Si quis fieri vult dives, hunc non pecuniis addere, sed cupidini detrudere oportet. *Quanto sibi quisque plura negaverit*, tanto *plura* divino munere *feret*. Verior est pecunie dominus qui contemnit quam qui possidet. / Quam multos hodie ridere licet *inter magnas opes inopes*? Michi *bene* fuerit, si *deus quod satis* esset daret. Non peto divitias *Cresi* nec *Darii*, *importunam* timeo *pauperiem*. Salariolum tenue vix decretum exspecto. Id si negatur, iam non paupertati, sed miserie subiaceo, quia non status, sed vita negatur. Stat tamen sententia: nec sic atroci fortune succumbere et fortem in adversis animum prestare, acerbum vincere fatum et vel in miseria vivere felices volumus. Nolunt nos sequi pecuniae, fugiant, absint. Abeant in malam crucem. Spine sunt et tribuli, si salvatori credimus<sup>53</sup>. Excussi auro melius philosophabimur<sup>54</sup>. Impossibile est archam plenam et Christum possideri (!). Uterque

52) Von *Omnia bis pauperiem* eine Paraphrase von Horaz, *Carmen* 3,16 (an *Mae-cenas* gerichtet). *Auro omnia patent* lautet eine verbreitete Überschrift des Gedichts.

53) Vgl. *Matth.* 7,16 und 13,22; *Luc.* 8,14.

54) Vgl. *Piccolomini*, *Briefwechsel* 2 (wie *Anm.* 1) Nr. 21\* S. 67, wo *Piccolomini* ankündigt, er werde „arm“ an den Hof zurückkehren (von *Wolkan* auf Fröhjahr 1448 datiert): si pauperem esse philozophari est, nemo me philozophior reperitur. Vgl. *Seneca*, *Epistulae morales* 17,3: Multis ad philosophandum obstitere divitiae, paupertas expedita est, secuta est.